Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

46

gloria regni puris fidelium mentibus se se dignanter
infudit. ut et tali glutine salutiferae inspirationis.
una ex utroque populo. immo ex omnibus electis
Christi ecclesia perficiatur. III
Facies et saga cilicina undecim ad operiendum tectum
tabernaculi. Hic locus in sequentibus ita repetitur.
fecit et saga undecim de pilis caprarum ad operiendum
tectum tabernaculi. Saga ergo quibus opertum
tabernaculum rectores sunt ecclesiae sanctae. quorum
industria ac labore decus eiusdem ecclesiae protegitur.
atque infatigabili cura munitur. Ne videlicet vita fi
desque electorum heretica seductione corrumpi. ne
falsorum catholicorum inprobitate foedari. ne con
temptorum vitiorum sorde contaminari. ne tempora
lium subsidiorum inopia possit ad tristitiam deduci.
Qui quanto se attentius ad sustinendas sive repel
lendas ingruentium temptationum violentias accin
gunt. tanto ampliorem subditis domino serviendi li
bertatem tribuunt. et quasi intus fulgendi copiam
cortinis praestant. dum instar sagorum ipsi foris
tempestates afflictionum tolerant. Recte autem
eadem saga et cilicina sive de pilis caprarum et unde
cim facta esse referuntur. quia nimirum sancti
praedicatores quo altiores merito. eo humiliores